

pœnam, & obedientiam; ad hanc, quia ei data est lex divina, ut obedientiam ei præstaret perfectam; ad illam, quia peccavit. *Nam maledictus est omnis, qui non permanet in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea, Gal. III. 10.* Christus autem non factus est sub lege, ex debito, & conditione naturæ, quia est *Dominus legis, Job. XII, 8.* cujus humana natura subsistit subsistentiâ filii Dei, qui est legislator, & Conditor; sed ex dispensatione, & ineffabili amore erga genus humanum, quod non poterat à peccato liberari, & redimi, nisi legi satisfaceret, quoad obedientiam, & pœnam. Non autem Christus pro nobis legem implevit, ut peccato serviremus, sed in novitate vitæ ambulemus, & sincerâ ac inchoatâ obedientiâ Deo serviremus, Rom. VI. 12. 13. seq. Luc. I. 75.

(7) *A causâ finali.* Nam causa finalis missionis Filii Dei est, *ut illos, qui sub lege erant, redimeret, quod (1) proponit v. 5. ἵνα τὰς ὑπὸ νόμον ἐξαγοράσῃ.* Ubi Apost: non loquitur de Redemptione simplici & Metaphoricâ, à quâ Moyses dicitur *λυτρωτής*, Act. VII, 35. sed de Redemptione propriè dictâ. Nam verbum *ἐξαγορᾶν* significat soluto pretio redimere. Etenim, quæ ad Redemptionem propriè dictam requiruntur, illa quoque dantur in Redemptione, quâ Christus nos redemit, ut 1. *captivus. 2. captivum detinens, 3. ipsa redemptio, 4. Pretium.* Moyses quidem fuit typus Christi. Typus. v. per omnia non convenit antitypo. Nam de Christo Scriptura dicit, quod nos suo pretioso sanguine redemerit 1. Pet. I. 18. 19. 1. Joh. I. 7. Per illos autem, *qui sub lege erant*, Apost: non intelligit solos Judæos, qui adventu Messiaë liberati sunt à lege Ceremoniali, & Judiciali; sed omnes homines. Nam hi propter peccatum erant omnes sub legis moralis maledictione: Judæis quidem promissus erat Messias, quoad nativitatem, & externam conversationem, Rom. XV, 8. Omnibus autem hominibus Christus promissus, & datus est, quoad redemptionem, & satisfactionem. Nam
Chri.